

IX

AD THALIARCHVM

Strophe Alcaica

Vidēs, ut altā stet nive candidum
Sōracte, nec iam sustineant onus
Silvae labōrantēs, gelūque
Flūmina cōstiterint acūtō ?

Dissolve frīgus, līgna super focō
Largē repōnēns : atque benīgnius
Dēprōme quadrīmum Sabīnā,
Ō Thaliarche, merum diōtā.

Permitte dīvīs cētera ; quī simul
Strāvēre ventōs aequore fervidō
Dēproeliantēs, nec cupressī,
nec veterēs agitantur ornī.

Quid sit futūrum crās, fuge quaerere ; et
Quem Fors diērum cumque dabit, lucrō
Appōne ; nec dulcēs amōrēs
Sperne, puer, neque tū chorēās,

Dōnec virentī cānitiēs abest
Mōrōsa. Nunc et campus, et āreae,
Lēnēsque sub noctem susurrī
Compositā repetantur hōrā :

Nunc et latentis prōditor intimō
Grātus puellae rīsus ab angulō,
Pīgnusque dēreptum lacertīs
Aut digitō male pertinācī.